THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY
OF
DUKE UNIVERSITY

Rare Books

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

PRIMOGENITVRA EX MORTUIS REDIVIVI ET TRIVMPHANTIS GOELIS NOSTRI, DOMINI JESU CHRISTI,

QVAM

ex Col. Cap. I. vers. 18.

Divinâ cooperante Spiritus Sancti Gratiâ,

PRÆSIDE

VIRO MAXIME REVENDO, AMPLISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DN. BALTHASARE BEBELIO,

SS. THEOL. D. & PROF. P. CELEBERRIMO,

Summi Templi Ecclesiaste, & Inspectore Collegii Wilhelmitani Spectatissimo, p.t. Universitat. Rectore Magnifico.

Domino Præceptore, Patrono ac Fautore suo multis nominibus jugiter suspiciendo,

PUBLICE

in Auditorio æstivali Die 19. Maij

disquirendam proponit

WOLFFGANGUS Lächelein/ Onoldinus.

ARGENTORATI,

Literis JOH. FRIDERICI SPOOR,

Anno M. DC. LXXI.

SERENISSIMIS CELSISSIMISQVE

PRINCIPIBVS AC DOMINIS,

DOMINO

JOHANNI FRIDERICO,

ut etiam

DOMINO

ALBERTO ERNESTO,

Marchionibus Brandenburgicis, Magdeburgensibus, Borussiæ, Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum ac Vandalorum, nec non Silesiæ, Crosnæ ac Carnoviæ Ducibus; Burggraviis Norinbergæ & Principibus Halberstadii, Mindæ atque Camini, &c. &c.

DOMINIS FRATRIBUS GERMANIS,

PATRIBUS PATRIÆ desideratissimis,

PRINCIPIBVS AC DOMINIS

MEIS CLEMENTISSIMIS,

Perennem corporis & animæ salutem, JESUM CHRISTUM, primogenitum ex mortuis, peregrinationum Comitem optimum, suavissimum, maximumque,

&

quæcunque bonorum Principum vota esse possunt, precibus, suspiriisque assiduis, & quibus possum, calidissimis apprecor,

&

Has qualescunq; Studii mei Theologici primitias humillimâ mente manuq;

dico, offero

Wolffgangus Lächelein / A. & R.

בס"ד

PROOEMIUM.

Καλὸν τὸ καιρῷ πᾶσιν εἰδέναι μέτρον. Pulchrum cujusvis temporis nôsse modum; Prudens Græci cujusdam veteris Poëtæ monitum est, quo tempus à tempore discernendum diligenter esse, haut obscurè docuit. Quandoquidem non omnia omni tempori conveniunt, sive facta sive verba gesta hominum in communi spectemus; sed discrepantiam in iis maximam deprehendimus. Huic enim hæc, ista alii sunt tempori convenientiora. Hinc etiam Vir ille, cujus tanta Sapientia dicitur, ut Sapientiæ cognomen præ cæteris invenerit, sapientissimè tempus suum cuique rei non attribuit modò, verùm etiam verba commodè aptèque tempori prolata malis aureis cum figuris argenteis comparare nullus dubitavit. Mala aurea תפוחי זהב parcè aliàs adhibentur & in magno pretio ac numero à magnis Viris ponuntur, cùm propter odoris, quem redolent, suavitatem, tum etiam propter insignem suam, quam corporis valetudini vel conservandæ vel restaurandæ, præbent, utilitatem. Haut secus sese res cum dictis nostris habet, quæ si cum aliqua animi dexteritate, si opportunè ac prudenter dixeris, ingentem ab omnibus feres gratiam; sin minus culpam pro laude demereberis. Facilius enim in vita nihil accidit, quàm ut optimè gesta ac dicta pro malefactis & minus rectè dictis, eò quòd tempori incongrua sunt, habeantur. Multis rem in se claram inque vulgus notam illustriorem reddere jam nolumus, ne fortè & nos tempori inopportuna obtrudere videamur. Præsertim cùm tempus præsens alii labori consecrare statuerimus, sacro quippe, quo sacras meditationes, quas nobis Apostolorum facilè princeps Gentiumque Doctor, Paulus, ex Epistol. Colossi. c. I. v. 18. suggerit, instituemus. Verba autem ista, quæ citato habentur loco, si cum malis aureis conferri posse dixeri-

mus, nihil absoni aut à rei veritate alieni dixerimus. Sunt equidem ea ipsa tempori, quod vivimus, aptissima, suavitatis solatiique plenissima, ac proinde dignissima, quæ altius indagentur. *Tempori*, quod vivimus, dico verba aptissima, quia in eo jam dulcis CHRISTI, qui sui propemodum immemor, memor nostri, nostræ vitæ cupidus, prodigus suæ, acerbissima quæque, quin mortem denique ipsam vicariam pro nobis conscleratis justus, pius pro impiis occubuit, sed hostium suorum victoriam morte atque resurrectione suâ devicit, dulcis, inquam, Christi memoria in pectore atque ore Christianorum omnium versatur, aut certè versari debet. *Suavitatis & solatii plenissima*, quoniam nil nisi fragrantissimum JESU Goëlis nostri odorem redolent, quem militans Ecclesia ceu corpus ex gratiosa ipsius sui capitis, ex mortuis redivivi ac triumphantis, præsentiâ percipit, certò persuasa, fore, ut ad omnem hæresium turbidissimum etiam ventum perstet florentissima, & tandem cum Christo suo in æternum revirescat. *Dignissima* denique ut altâ mente reponantur. Christi etenim resurrectionem, quæ fidei nostræ, Damasceno teste, fundamentum est, continent. Quamobrem nos quoque verba ista Apostoli thematis loco elaboranda selegimus, pauca quædam de Salvatoris nostri Domini JESU CHRISTI PRIMOGENITURA EX MORTUIS disserturi. Id quod ut feliciter succedat, & ut hæ Primitiæ Theologiæ nostræ Paschales, quas edimus, ipsi Primogenito nostro ex mortuis, quò tenuiores, eò gratiores sint, inq; Nominis sui gloriam; nobis verò in uberiores in dies Doctrinæ Cœlestis fructus faciendos, & Ecclesiæ denique suæ commune bonum vergant, supplices precamur:

Languentes mentis vires exsuscitet ipse
Nostræ Divino Flamine Iova suo.

THESES.

I. Thesi proponitur textus originalis cum versione.

I. AGgredimur jam bono omine ipsum thema nostrum, quod in Epistolæ Colossensibus inscriptæ capite I, v. 18. habetur. Cujus verba authentica hæc: Καὶ αὐτὸς (Χριστός) ἐστι ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος, τῆς Ἐκκλησίας, ὅς ἐστιν ἀρχὴ, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων. Id est: Et ipse (Christus) est caput corporis, Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus

genitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primas tenens. Ita hæc vertit Dn. J. Erasm Schmidius.

II. Ita Dn. D. Georg. Weinrichius, Ægyd. Hunnius, Balduinus & complures alii, reddentes ἐν πᾶσι (de qua voce genuinè vertenda aliqua inter eruditos discrepantia occurrit,) in omnibus scil. rebus, in quibus Primatum Christi communiter consistere arbitrantur. Quidam verò dissentientes, in quorum numero Theodor. Beza, Calvin. Jonas Slichting. & Joh. Crellius Photiniani sunt, eum specialiter accipiunt, & immediatè tantùm ad ipsos mortuos, è quibus Christus primogenitus est, referunt; dum præpositionem ἐν per *inter* exponendam esse contendunt, nixi Locis Rom. VIII, 29. 1. Tim. IV, 15. Heb. XIII, 4. Eph. V, 3. ubi in eadem significatione præpositio ἐν pro *inter* usurpatur. II. Variæ lectiones.

III. Verùm enim verò si ipsam phrasin, quæ in textûs origine est, penitius adspiciamus, indolemque Græci sermonis accuratius paullò perpendamus, posteriorum autorum versionem absque necessitate tortam esse, nec aliquod adductis locis probationis pondus, eò quod diversa sunt, inesse dicimus. Verbum enim πρωτεύειν nullibi neque in sacris neque profanis Græcorum libris cum Dativo personæ præpositionem ἐν sibi præfixam habenti constructum reperitur. Ast semper illud, Genitivum personæ Dativumque rei, modò conjunctim, modò separatim, huncque interdum expressè præpositione ἐν additâ, adsciscit. Exempla singulorum legimus apud Plutarchum, & quidem 1. cum Genitivo personæ & Dativo rei in Solon. πρωτεύειν ἀρετῇ τῶν πολιτῶν. Virtutis inter cives primas tenet. 2. cum Dativo tantùm rei, ut πρωτεύειν σοφίᾳ, principem locum obtinet in sapientia. 3. Cum Dativo rei per præpositionem ἐν, in orat. περὶ παίδων ἀγωγῆς, ut: σπεύδοντες τὰς παῖδας, ἐν πᾶσι τάχα πρωτεῦσαι, πόνους ἀνιηροῖς ὑπὲρ μέτρους ὑποβάλλουσιν. Festinantes (scil. Patres) ut pueri in OMNIBUS (scil. rebus) celerius primatum teneant; labores ipsis immensos imponunt. Qui locus ultimus phrasin in textu nostro contentam satis, cæteris paribus, explicare potest, ut hinc adeò pateat, Megalandri nostri B. Lutheri & eorum, qui cum ipso faciunt, versionem optimè sese habere: **Auff daß Er/ (Christus der Erstgeborne von den Todten) in allen Dingen den Fürgang habe.** III. Instituitur examẽ versionũ.

IV. Addūtur parallela. 1. Cor. XV. 20. Apoc. I, 5.

IV. Cœterùm loca huic noſtro parallela, de Chriſti primogenitura ex mortuis agentia, lege ſis, 1. Cor. XV, 20. Χριστὸς ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο. Et Apocal. I, 5. Ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς, ὁ πιστὸς, ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν καὶ ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς. In quibus Viri Θεόπνευστοι ferè Laconicè ſemet explicantes docent, quid τὸ primogenitum ex mortuis eſſe ſignificet, nempè ſurrexiſſe propriâ virtute, & primitias ſeu principem eorum, qui obdormierunt, factum eſſe.

V. Variæ variorum autorum interpretationes.

V. Ad uberiorem textûs noſtri ἐξήγησιν, diverſas diverſorum autorum interpretationes adducere poſſemus, niſi brevitati ſtuderemus. Unam duntaxat vel alteram adjiciemus. Ὅ ἐστιν ἀρχὴ πρωτότοκος. Eraſm. Rotterod. legit absque interjecto commate, & *quoniam*, inquit, *neutri dictioni apponitur articulus, poteſt & hic ſenſus accipi. Qui Chriſtus eſt principium primogenitum ex mortuis, q. d. primum principium ex mortuis, quod ille ſit fons omnis reſurrectionis, ut, primogenitus ſit epitheton principij. Nam hùc accommodant Chryſoſtomus, Theophylactus & Ambroſius, quod Chriſtus hic dicatur Principium, quòd Dux ſit & autor reſurrectionis.* Hæc ille. Vatablus *Principium* ſubintelligit, *reſurrectionis*; *quod*, inquit, *declarat, cùm mox ſubjicit, Primogenitus.* Zegerus Chriſtum primogenitum ex mortuis ideò dici exiſtimat, *quandoquidem ipſe primitivus & præcipuus ſit inter eos, qui à mortuis veluti regenerati reviviſcunt ad vitam immortalem.* Et in Comment. in Apocalyps. ſcribit; *Primogenitus, i. e. primus partus mortuorum, ſeu primus partus ex mortuis editus. Id enim Græcus manifeſtat ſermo.* Cui ſubſcribit Grotius quoque in Commentar. ſuo in Apocal. ratione additâ, *quòd reſurrectio ſit nativitas quædam.* Matt. XIX, 28. Act. XIII, 33. Cameron in Comment. Epiſt Coloſſ. *Primogenitum* ex mortuis per caput & Principem ſeu Dominum mortuorum in beata reſurrectione excitandorum explicari poſſe opinatur. Ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων, ut primatum ipſe teneat, h. e. *ſummam poteſtatem*, Vatablo interprete, in Omnibus: h. e. *in vitæ ſanctitate, in miraculis, doctrina, in reditu ad vitam* Grotio autore in tractat. in Apoc. Quid autem de his & ſimilibus interpretationibus ſentiamus, ſequentia docebunt.

VI. Vera ſententia noſtra breviter explicatur.

VI. Brevibus ut nos expediamus, ſententiâ noſtra hæc eſt: Chriſtus Θεάνθρωπος eſt *principium*, cauſa efficiens principalis rerum

rum omnium, quæ creatæ sunt, sive in cœlis, sive in terra, tum etiam *primogenitus* h. e. genitus, & quidem primus *ex mortuis*, non ἀπλῶς prioritate temporis, sed καθ' ὅτι prioritate nimirum dignitatis & ordinis, ante quem nullus alius ex sua & propria virtute resurrexit, *ut primas*, h. e. summam potestatem *in omnibus* scil. rebus, vitæ puritate & innocentiâ, & miraculorum & doctrinæ majestate, & gloriæ splendore & excellentia *sit tenens*. Digna sunt verba D. D. Gerhardi part. 3. harm. Evang. c. 129. p 1197. quæ hîc apponantur. *Notanter vocatur primogenitus* (ex mortuis) *tum quia propriâ virtute resurrexit, & nos ipsius virtute & merito ad vitam æternam resurgemus* 1. Cor. XV, 14. Hebr. II, 14. *sicut primogenitus dicitur Virtus sui patris.* Gen. XLIX, 3. *Tum quia ipsi ex mortuis resuscitato, ceu Domino nostro sumus subjecti.* Rom XIV, 10. *Sicut primogenitus in V. T. erat princeps fratrum suorum*, Gen. XLIX, 3. 2. Paral. XXI, 3. *unde statim additur*, Apoc. I, 5. *& princeps Regum terræ. Tum quia ipse in hæreditatem accepit Gentes & fines terræ.* Psl. II, 8. Hebr. I, 6. *Sicut primogenitus erat paternorum bonorum hæres, ex cuius manibus reliqui partem hæreditatis capiebant: Tum quia ipse primus inter resuscitatos ex mortuis non rediit in hanc naturalem & animalem vitam, sed resurrexit in æternam vitam, & ingressus est in Gloriam cœlestem.* Hactenus ille. Non absimilia de Christi primatu Dn. D. Hunnius in Comment. in Ep. Col. c. I, p. 55. habet, scribens: *In omnibus ei* (Christo) *summo jure competere primas, idque non Deitatis solius respectu, sed assumtæ simul humanæ naturæ intuitu, utpote juxta quam caput nostrum est* (*nobis membris suis communione naturæ per omnia similis, excepto peccato*, Hebr. 2, 1.) *juxta quam etiam illi hæc ex mortuis resurrectio competit.*

VII. Et hanc ipsissimam Apostoli nostri mentem esse constat 1. *ex scopo*, qui est Christi officium Regium Colossensibus summatim proponere. Posteaquam enim firmis validisque Christi Deitatem argumentis Apostolus confirmaverat, & Colossenses suos è potestate tenebratum ereptos, inque tegnum Christi translatos docuerat, monstrare ipsis insuper voluit, quod non amplius sui juris quasi essent, licet in libertatem asserti, sed sub capite Christo, cujus regnum quidem non terrenum, sed cœleste, sed spirituale; idque maximum, potentissimum, gratiosissimum, glorioſissimumque sit. VII. Prolixius demonstratur 1. ex scopo.

Maximum

Maximum & potentissimum regnum, quia Christus ipse rerum omnium cœlestium ac terrestrium fons atque principium, inque omnibus primas teneat. *Gratiosissimum*, quia Ecclesiæ corporis mystici caput, quod ceu potissima pars cæteris corporis membris nullam injuriam nec inferat, nec inferri facilè patiatur. *Gloriosissimum* denique, quoniam de morte ipsa victoriam reportâsset.

VIII. 2. Ex antecedentib. & consequentib. *α Antecedentibus. β. Consequentibus.*

VIII. 2. *Ex antecedentibus & consequentibus.* *In antecedentibus* enim versibus 16. & 17. quale Christus principium dicatur, disertè habetur, scribente Apostolo: per Christum creata esse omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia &c. & ipsum esse ante omnia, & omnia per illum consistere. *β. Ex consequente* verò versu Christi primatus ἐν πᾶσι deducitur ex εὐδοκίᾳ æterni Dei Patris, quæ fuit, ut Christus secundum humanitatem esset παντὸς πληρώμα & seu omnis plenitudinis habitaculum, & ex illa plenitudinis inhabitatione efficacissimum universalis reconciliationis & pacificationis per sanguinem crucis principium. vid. v. 20. Talis scil. ex εὐδοκίᾳ Patris cœlestis constitutus, debuit quoque esse πρωτότοκος & ἐν πᾶσι primatum habere in omnia seu ubique esse primus. Exemplum Primatus, suppositio illo primatu non πρωτοκλίσιας, sed πρωτοτόκια πάσης κλίσεως, v. 15. ponit 1. primatum capitis in Ecclesia veluti corpore. 2. Primatum principatus seu ἀρχῆς (vel juxta Chrysostomum ἀπαρχῆς.) 3. Primatum resurrectionis, quia est primogenitus ex mortuis. Ad quem titulum Chrysostomus: Dic quæso: Primogenitus ex mortuis τί δηλοῖ quid significat? οὐχ ὅτι πρῶτος ἀνέστη, i. e. non quòd primus resurrexit, neque enim dixit νεκρῶν i. e. mortuorum esse primogenitum, sed ἐκ τῶν νεκρῶν, i.e. ex mortuis. Neque dixit: eum primum esse mortuum; sed primogenitum resurrexisse ex mortuis, ὥστε οὐδὲν ἕτερον δηλοῖ, ἢ τοῦτο ὅτι τῆς ἀναστάσεως ἀπαρχὴ γέγονεν. i. e. Quamobrem nihil aliud significat, quàm eum fuisse primitias resurrectionis à mortuis. Et porrò. τῇ ὑστέρᾳ γενέσει, ita est primogenitus; ut sit simul ἀπαρχὴ seu primitiæ, quia scil. juxta hanc fratres habet ὁμοουσίους, illos, quorum est primogenitus. At τῇ πρώτῃ γενέσει, seu juxta æternam generationem ita est πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ut non sit simul ἀπαρχὴ πάσης κτίσεως, quia sic excideret axiomate creatoris seu axiomate δημιουργικῷ, haberet fratres, poneretur in eadem essentia

tia cum iis, quorum est primogenitus, discerneretur solùm tempore, imò quia dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως omnis creaturæ, lignum etiam & lapides essent fratres Verbi Dei, & Deus verbum æque esset primogenitus Chrysostomi & lapidis. Ita Chrysostomus benè concludit duplicem illum primogeniti universæ creaturæ & primogeniti ex mortuis primatum. Neque minus egregiè Andreas Episcopus Cæsarienſis, doctissimus Cappadox, scriptor antiquus in Apoc. c. 1. 5. *vocatur IESVS CHRISTVS,* πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν, seu *primogenitus ex mortuis;* ὡς ζωὴ καὶ ἀνάστασις, i. e. *quia vita & resurrectio est.* ὧν γὰρ αὐτὸς κατάρχει οὐκέτι καθὼς οἱ πρότερον θανόντες καὶ ἀναστάντες ὄψονται θάνατον, ἀλλ' αἰωνίως ζήσονται. i. e. *Quoniam illi, quibus Christus dominatur, non amplius velut olim mortui & resuscitati mortem videbunt, sed in æternum beati victuri sunt.* Vid. Varenius in præfat. Decad. Mosaic.

IX. 3. Ex ipsa re, ad quam ut propius accedamus, sciendum, quòd primogenitura ex mortuis nihil aliud sit, quàm excellentissima altera quasi Christi nativitas, quâ ipse ceu primus partus inter resuscitatos ex mortuis non in hanc mortalem accaducam, sed in æternam & immortalem rediit vitam, ad gloriam suam exaltatus. IX. 3. Ex ipsa re seu primogenitura ex mortuis.

X. Cùm igitur innotescat ipsa Primogenitura ex mortuis, considerandum porrò est τὸ τί, sive I. Subjectum, de quo prædicetur. Idque est CHRISTUS verus Deus, & verus homo, in una adeòque in se indivisa hypostasi; uti ex aliis Scripturæ Sacræ locis passim obviis, ita præcipuè ex variis Epithetis, quibus Paulus in capite nostro I. Coloss. Christum condecoravit, ad oculum cuivis patescit. Conferatur enim vers. 13. cum 15, 16, 17, 19. versibus hujus I. capitis, quibus Deitas Christi; & vers. 14. cum 18. 20. 22. quibus eiusdem humanitas disertè vindicatur. Quæ jam singula excutienda non sumimus, cùm illa peculiarem aliquem tractatum desiderent, ne fortè etiam institutum hoc nostrum, præter spem, in nimium excrescat. At verò quoniam in una eademque Christi persona ἄλλο καὶ ἄλλο, alia atque alia natura est, quæritur non immeritò, juxta quam naturam Christus sit primogenitus ex mortuis, an secundum alterutram, h. e. vel divinam vel humanam tantùm, an verò secundum utramque simul? Resp. Christum quidem totum, seu totam Christi personam, sed in corpore carnis suæ glorifi- X. Primogenituræ huius subjectũ, quod est Christo, cuius expenduntur Naturæ, divina & humana; & enodatur simul, secundum quam naturam ipsi hęc primogenitura competat.

cato : seu filium Dei secundum humanitatem resurrexisse. Idq; hunc in modum probamus:

Secundum quam naturam aliquis est passus, & interfectus cecidit, secundum eandem etiam resurrexit.

At Christus secundum humanam naturam est passus, & interfectus cecidit. E.

Major suâ luce radiat. Finge enim Christum secundum aliam naturam passum & mortuum esse & secundum aliam resurrexisse, in analogiam fidei oppidò impinges, & divides Christum.

Min. probatur 1. Petr. IV, 1. Christus passus pro nobis est carne. 1. Petr. III, 18. Christus occisus est carne. Pati enim & mori humanæ tantùm naturæ propria sunt; tantùm dico, non absolutè, sed relatè in ordine ad div. naturâ, prout hæc ἀπαθὴς est; & nullo modo ipsi ista attribui possunt, nisi in concreto naturæ per & propter unionẽ personalem, ἀχώριστον, in triduo etiam mortis illæsam & illibatã. Vid. Dn. D. Danhavv. Hod. p. 768. Per & propter quam λόγος, sicut reverà naturæ humanæ particeps factus est, Hebr. II, 14. ita etiam propria humana sibi appropriavit, non ἀλλοιώσει, sed intima περιχωρήσει & communicatione, non quidem καθ' ὑπόστασιν inhæsivè, quoad divinam naturam, ita ut divinæ naturæ subjectivè inhærerent; sed κατὰ συνδυασμὸν, associativâ, ut in eadem ὑποστάσει essent. Ratio est, quia natura est causa propriorum, & natura & propria indissolubili nexu cohærent. Ut hinc adeò 2. verè atque orthodoxè dicatur ac credatur: 'Dominus gloriæ crucifixus, autor vitæ interfectus, Deus, verissimè ac propriissimè, non metonymicè nec metaphoricè, resurrexit. Hinc argumentor:

Is, qui verè, propriè ac realiter, non nominetenus, Christus est, est etiam verè, propriè ac realiter, non nominetenus, primogenitus ex mortuis.

At Dominus Gloriæ crucifixus, autor vitæ interfectus, & Deus ipse is est, qui verè, propriè ac realiter, non nominetenus, Christus est. E. Dominus Gloriæ crucifixus, autor vitæ interfectus & Deus ipse verè, propriè &c. primogenitus est ex mortuis.

Major habetur in textu præsenti.

Minor prob. ex 1. Cor. II, 8. Act. III, 13. Rom. I, 23. Tit. II, 13.

Immotæ

Immotæ igitur veritatis est illud: *Quàm verè Deus est homo, tàm verè de Deo prædicatur, quicquid est humanum & contrà. Et quicquid est per naturam humanam proprium filio Mariæ, hoc omne per & propter Vnionem personalem prædicatur de filio DEI.* Rectissimè quoque scripsit B. Lutherus noster Tom. 3. Jenens. Germ. p. 455. Also soll man der gantzen Person zueignen / was dem andern Theil der Person widerfähret / umb deß willen / daß beyde eine Person ist. Et iterum ibid. p. 456. Dann die Person ist / die alles thut und leidet / eines nach dieser / das ander nach der andern Natur. Et eapropter idem diris devovet omnibus ἀλλοίωσιν Zvvinglianam, quando eam in majore de Cœn. Domin. Confessione explicat: *Hoc Zvvinglius vocat*, inquiens, *ἀλλοίωσιν, cùm aliquid de divinitate Christi dicitur, quod tamen humanitatis est proprium, & contra. Vbi in Scriptura dicitur, nonne oportuit hæc Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? ibi negatur Zvvinglius, quod vocabulum Christus hoc loco pro natura humana sumatur. Cave tibi, cave*, inquam, *ab allæosi. Est enim larva quædam Diaboli, quæ tandem talem Christum fingit, secundum cuius rationes ego certè nolim esse Christianus. Hoc enim illud vult, quod Christus nihil amplius sit, aut efficiat suâ passione & vitâ, quàm alius quispiam sanctus. Si enim persuadere mihi pattar, ut credam, solam humanam naturam pro me passam esse, profectò Christus mihi non magni pretij Salvator erit.* Hactenus Lutherus.

XI. Subjectum primogenituræ excipit II. actus, nempe resuscitatio Christi ipsa, non passivè sed activè sumenda. Est autem actus iste merè divinus totius Trinitatis, Patris, Christi Θεανθρώπου & Spiritus Sancti, quo Christus virtute nativâ, primitivâ, independente, propriâ, non alienâ aut adventitiâ Angeli lapidem sepulchralem removentis, à mortuis tertio die, ex quo scil. mortuus & sepultus fuerat, primogenitus resurrexit, secundum carnem glorificatam, ad vitam beatam, gloriosam & æternam, ad nostri autem justificationem, pace inter nos & Deum confirmatâ, & in spem vivam nostræ resurrectionis. vid. Dn. D. Dannhavv. Hodos. p. 2 8. 740.

XI. Actus Primogenituræ est ipsa resuscitatio ex mortuis.

XII. Ex qua descriptione III. notatur Principium Quod & Quo hujus Primogenituræ Christi ex mortuis. Nimirum quis 1. Christum suscitaverit? & 2. Quo Christus suscitatus fuerit? Priorem quæstionem quod attinet, Resp. Tota S. S. Trinitas, Pater,

XII. Actus istius principii quod & quo. Illud est tota SS. Trinit.

Filius & Spiritus Sanctus Christum ex mortuis excitavit. Ratio est, quia in Sacris literis hæc Christi resuscitatio omnibus tribus Personis ὡσαύτως, ex æquo, adscribitur. Patri Gal. I, 4 Rom. IV, 24. Hebr. XIII, 20. Christo tum ἰσοτιμίας ratione Deitatis, quam ab æterno per æternam generationem habet. Rom I, 4. tum ὑποστατικῶς ratione humanitatis, vi unionis personalis, per & propter quam omnia Idiomata verè divina verè ac realiter carni assumptæ sunt communicata. Ita enim Christus ipse Joh. II, 19. ad Judæos: *Solvite*, inquit, *templum hoc, & intra triduum excitabo illud*: Digitum quasi in templum corporis sui intendens, in quo Divinitas personaliter unita habitabat. Et Joh. X, 18. *Potestatem habeo animam deponendi & reassumendi.* Spiritui autem Sancto adjudicatur Rom. VIII, 11. Hæc de priore quæstione. Facilis hinc quoque fluit responsio ad posteriorem quæstionem, quâ quæritur, quo Christus ex mortuis sit suscitatus? Resp. Nimirum *Divinâ*, eaque *propriâ virtute*, Divinæ Christi naturæ competente, & carni communicata, ob quam caro vivifica suimet, tum etiam aliorum est.

Hoc, videl. princip. quo, est virtus Divina.

Ast objiciat hîc aliquis Photinianus: Christus Dei Patris virtute in suam gloriam suscitatus legitur Rom. VI, 4. Ergò Christus seipsum propriâ virtute non resuscitavit. Nihil enim agit in seipsum. Esset enim aliquid simul agens & patiens, seu principium efficiens & subjectum recipiens eiusdem actionis, quod implicat.

Resp. Committit elenchum oppositorum. Etsi enim alia atq; alia in divinis detur persona, non tamen diversa est virtus; sed ut una est essentia, ita una est potentia, una majestas, una gloria, & operis æqualitas: Fulgentio optimè olim sentiente. Nam *quæcunq; Pater facit, hæc etiam Filius ὁμοίως pariter facit.* Joh. V, 19. Valet hîc regula Augustini: *Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa.* Nunc ad Canon. Resp. limit. N. agens agit in seipsum *actione corruptivâ*, concedo; N. agens agit in seipsum *actione perfectivâ*, nego Sic v. gr. Intellectus agit in seipsum res objectas contemplando, &c.

XIII. Actus terminus à quo est mors seu dormientes & mortui.

XIII. Perpendendū IV. momentū primogenituræ, terminus à quo, est Mors, seu mortui & dormientes. Mors autem & mortui in aliqua ponuntur differentia. Quippe mors alia est corporalis, alia spiritualis, alia æterna. qua de vid. integr. Disput. Excellentiss. D. D. Præsidis Sebast. Schmidii in Colleg. Bibl. poster. pag. 369. seqq.

Sic

Sic mortuorum sive dormientium nonnulli piè, impiè alii mortis somnum oppetivére. Ut verò Christus triplicem istam mortem, ceu ultimum hostem, resurrectione suâ gloriosâ, nostrî causâ, delevit, 1. Cor. XV, 26. Ita etiam ex mortuis sive dormientibus, quà corporali morte sublatis, omnibus tàm impiis, quàm piis, licet maximè piis, primogenitus factus est.

XIV. Objicis; quî Christus verè ac propriè primogenitus est ex mortuis, cùm tamen multi ante ipsum alii resurrexerint. Quod implicat. Hinc argumentum tale:

XIV. Ordinis differētia inter mortuorū resuscitationem diluitur soluta objectione.

Nullus, ante quem multi alii resurrexere, est verus ex mortuis primogenitus.

At ante Christum resurgentem multi alii resurrexere. E. Christus resurgens non est verus ex mortuis primogenitus.

Major ex natura primogeniti constat.

Minor probatur variis exsuscitatorum exemplis, quæ ordinis causa in tres quasi classes dispesci possunt. In 1. classe est Moses verè mortuus. Deut. XXXIV, 5. Sed post secessionem vitæ corpori, de quo exemtus est, restitutus. Apparuit enim in montana transfiguratione non spectrum, sed socius & contribulis Eliæ. Matth. XVII, 3. In altera classe sunt exempla: 1. Reg. XVII, 22. 1. Reg. IV, 33. 2. Reg. XI, 21. Matth. IX, 25. Luc. VII, 14. Johan. XI, 43. In tertia sunt corpora eorum, qui mortuo Domino ex monumentis suis exierunt.

Resp. 1. Esse lusum in voce *Primogenitus*. Sumitur enim hæc nunc *univocè* pro omni eo, qui filius patris sui primus est; nunc *analogicè* prout notat præstantissimum & excellentissimum eorum omnium, quorum est primogenitus. confer Ps. 89, v. 28.

2. Ad maj. duplici modo limitand. N. ante quem multi alii resurrexerunt *α. propriâ, primitivâ atq; independenter fluente virtute. β. ad vitam immortalem, perfectam q;, gloriosam & beatificam Dei visionem*, est primogenitus. Sic limitata majore, nego minorem. Nam I. Mosen quod attinet, ad vitam quidem æternam resuscitatus est, sed non suâ, verùm DEI omnipotentis potentiâ. II. Neque reliqui suâ, sed vel precaria per Prophetas & Apostolos, vel ipsius Christi Θεανθρώπε Θαυματυργικῇ virtute in vitam revocati sunt; & quidem non immortalem, sed hanc caducam. Quâ de re vid.

Anthropol. Sacr. Meisn. pag. m. 61. seqq. Hinc Scriptor Responsorum ad Orthodoxos benè scripsit : Ἓν εἰς γὰρ ἀθανασίαν τε καὶ ἄφθαρτον ζωὴν ἔπω γέγονέ τινος ἡ ἀνάστασις πλὴν τοῦ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. III. Corpora denique multorum mortuo Christo surrexisse dicuntur saltem per anticipationem à Matthæo, conjungente hoc signum cæteris, quæ passo Domino evenerunt. Idque ex seq. v. 53. colligere est, ubi diserte additur : Et illi μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ (Χριστοῦ) post resurrectionem ejus (Christi) primùm è monumentis egressi sunt.

XV. Hæc de genuinâ Primogenituræ Christi ex mortuis explicatione dixisse sufficiant. Claudimus verbis B. Dn. D. Dannh. Christol. p. 308. seqq. *Dicitur a. Primogenitus, ordine 1. naturæ, quia ejus resurrectio, resurrectionis nostræ & causa fuit, & consecratrix, vide undecim vinculorum connexionem, quibus Christi resurrectioni nostra hæret, apud D. Gerhard. tom. 2. Disp. Theol. p. 1560. ut ἀπαρχὴ messem sanctificarat olim 1. Cor. 15, 20. Virtutem hanc resurrectionis Christi sensére Sancti cum ipso ad vitam immortalem resurgentes. Quanquam enim resurrectio absolutè prout præscindit à salutari & non salutari, non sit effectus meritorum Christi. Quia 1. quod est fructus meritorum Christi, id absq; interventu meritorum Christi nonevenit : at evenit damnatis resurrectio, si maximè Filius Dei nunquam fuisset incarnatus. vid. D. Gerhard. tom. de resurrect. §. 56. Quia 2. nullus fructus meritorum Christi absq; fiduciali apprehensione in hominem cadit. At damnati resurgent, etsi fide non apprehenderint resurrectionem Christi. Est tamen resurrectio Christi causa resurrectionis ad vitam, quam, ut alia beneficia, Christus omnibus acquisivit, quamvis pauci actu potiantur. Dices 1. sicut per Adamum mors Universalis demeritoriè ; Ita etiam resurrectio universalis meritoriè à Christo, 1. Cor. 15, 22. 2. Destructio mortis est fructus meritorum Christi, 1. Iohan 3, 8. 2. Tim. 1, 10. Resuscitatio damnatorum est destructio mortis, Ergò. Resp. ad 1. negando consequentiam, quia potest illa vis resurrectionis Christi diverso influendi modo ad alios meritoriè, ad alios judiciariè venisse. Sufficit, inquit D. Gerhard. tom. de resurr. p. 61. ad antithesin Apostolicam explicandam, Adamum & Christum opponi tanquam duos fontes, ex quorum uno peccatum & mors, ex altero justitia & vita in nos descendit, quamvis nec modus nec objecta communicandi utrobiq; sint eadem : negando itidem æqualitatem latitudinis, siquidem in al-*

tero membro Vniversalis OMNIS *ad solos fideles restringenda est, ut post B. Luther. tom. 6. Ien. p. 231. D. Hunn. comm. ill. loc. D. Balduin. q. 1. ad 1. Cor. 15. p. m. 807. & seqq. felici conatu monstrant ad II. negando destructionem mortis, absolutè & praecisè loquendo, esse fructum meritorium Christi: sed destructio mortis, cum collatione vitæ conjuncta, è meritis Christi fluit. Est 2. Christus primogenitus ex mortuis tempore, quia ante ipsum nemo resurrexit ad immortalem vitam, & plenissimam gloriam. Quanquam enim Lazarus, & alij resurrexerint, tamen ad mortalem & caducam vitam redierunt: quanquam etiam Moses excitatus è mortuis credatur ex Matth. 17, 3. tamen nondum ad absolutissimam & omnimodam fruitionem divinæ gloriæ pervenit, ut docet Dn. D. Feurb. disp. cit. th. 56. p. m. 35. 3. Dignitate, quia non solùm ob gloriæ præcellentiam (cui etiam Angeli assurgunt in introductione in orbem terrarum. vide D. Gerh. harm. p. 367. & jucundus q. lusibus applaudunt) dignissimus est, sed & quia magno cum miraculorum comitatu resurrexit. Nam & cum terræ motu & propriâ virtute resurrexit. Quamvis enim resuscitatio Patri, ut Fonti Trinitatis, passim tribuatur, ad consolationem conscientiarum nostrarum, ut scribit D. Feurb fasc. 4. disp. 2. th. 15. ut sciamus patri abundè satisfactum, Patrem abundè conciliatum: nisi enim plenè fuisset placatus, tùm eum in morte reliquisset: tamen Filio quoq; tanquam virtuti Patris, per quam omnia operatur, expressè tribuitur, Ioh. 2, 19. cap. 10, 17. Act. 1, 3. Rom. 1, 4. quo de loco videndus D. Gerhard. tom. 2. disp. p. m. 1481. Filio, etiam secundum carnem; resurrexit enim ex infinita virtute carni communicata, quæ vis ζωοποιητικὴ, moriente secundum carnem Christo, & destruente per mortem eum, qui mortis habebat imperium, non fuit intermortua. Verba sunt D. Mentz. Elench. p. 163. vide D. Gerh. loc. cit. pag. 1489. & seq. & D. Feurb. loc. cit. th. 27. p. 61. Vnde, quòd cum multi aliàs sancti multa fecissent miracula, nullus eorum mortuus resurrexerit, hoc miraculum Christi proprium & potentissimum August. appellat in Ps. 65. ad hoc signum remissi Scribæ, Matth. 12, 39. ex hoc signo clarissimè declaratus est Filius DEI, Rom. 1, 4. Rideat id quamvis Socinus in Disp. de unius Filij exist. Quid, inquiens, magis vel risu dignum, vel à veritate alienum, quàm eum qui mortuus sit, seipsum in vitam revocare? sentiet olim Christi ἀντιμυκτηρισμὸν. vide eius nugas castigatas apud D. Stegm. disp. 26. p. m. 290. & seq.* Hucusque D. Dannh. Ex quibus unum atque alterum consectarium nunc deducemus.

XVI.

XVI. Positmata seu Conclusiones doctrinales.

XVI. Primum ergò est: *Christum esse verum Deum*, quod evincit, cùm suimet resuscitatio activa, è qua Filius DEI declaratus est ἐν δυνάμει propria. Rom. I, 4 Col. I, 15. tum primatus, quem in omnibus rebus obtinet. Col. I, 18. Includimus autem rationes nostras sequentibus argumentis:

I.

I. Is, cui verè ac propriè virtus sui ex mortuis resuscitatrix activa competit, est verus Deus.

At Christus is est, cui verè ac propriè virtus sui ex mortuis resuscitatrix activa competit. E.

Major inde probatur, quia virtus ista resuscitatrix ex mortuis suimet, (taceo nunc aliorum) activa est virtus merè divina, teste Scriptura. Exod. III, 6. coll. cum Matth. XXII, 32. vid. iterum Excellentiss. Dn. D. Sebast. Schmidii integr. Disput. in Colleg. Bibl. post. p. 377. Cui autem competit Definitio, eidem competit etiam Definitum.

Minor ex superioribus thesibus XI. & XII. constat. Hinc benè Augustin. tom. 2. epist. 3. *Nasci de Virgine, à mortuis resurgere, & in cœlum adscendere, hoc Deo qui parum putat, quid plus expectet, ignoro.*

II. Is, qui ita ex mortuis primogenitus est, ut in omnibus primas teneat, & omnibus etiam cum mortuis tum vivis dominetur, est verus Deus.

At Christus talis est, &c. E. Christus est verus Deus.

Majoris connexio solida est. In omnibus enim primas tenere, & præterea cum mortuis tum vivis dominari, non sanè τῶ ψιλῶ hominis est, sed Divinitatis argumentum.

Minor habetur iterum in nostro loco. confer cum Rom. XIV, 9. *Ad hoc Christus & mortuus est, & resurrexit, & revixit, ut & mortuis & viventibus dominetur.*

Facessant igitur Pauliniani, Photiniani, Ariani, Mahumetani, Sociniani, cæterarumque hæresium turba, quicquid etiam contra Christi Deitatem sive ex ratione, sive principiis suis philosophicis oblatrent.

II. XVII. Alterum est: *Christum esse verum hominem.* Dum enim 1. Christus primogenitus ex mortuis dicitur, habebit omninò aliquid commune cum iis, quorum est primogenitus, h. e. omnium præstan-

præstantissimus. Id quod Matthæus etiam c. XXVII, 52. innuit, quod Sanctorum, qui post Christum resurgentem resurrexere, corpora καὶ' ἐξοχὴν corpora dixerit, ostensurus, Christum primogenitum æque atque Sanctos istos ceu fratres suos, quasi post se ex mortuis genitos, corpore præditum esse. Uti thes. VIII. supra ex Chrysostomo jam aliquid monuimus. Taceo 2. quod Christum Paulus primitias τῶν κεκοιμημένων factum esse, 1. Cor. XV, 20. docuerit. De primitiis autem res est in propatulo, quòd à reliquis frugibus seu integra messe eas insecutura olim non differrent, nisi 1. ἀφορισμῷ, i. e. *speciali* à reliquis frugibus matureſcentibus *segregatione.* 2. θυσιασμῷ, seu *solenni oblatione.* & 3. ἁγιασμῷ, *sanctificatione,* quatenus primitiæ integrum acervum frugum repræsentabant, & per illas his benedicebatur, ipsique coloni & cæteri vescentes sanctificabantur. Nec de mortuis, quorum mentio in textu nostro fit, dubium, quin homines per eos intelligantur.

Vapulant hîc Marcionitæ, Valentiniani, Manichæi, Apollinaristæ, Monophysitæ, Monotheletæ &c. qui veram Christi humanitatem oppugnavere.

XVIII. Tertium hinc fluit consectarium: *Christum verè esse mortuum.* III.

O. enim, qui verè ex mortuis resurrexit, verè quoq; est mortuus.
At Christus verè ex mortuis resurrexit. E. Christus verè etiam est mortuus.

Major nititur Canone: posito consequente, necessum est poni aut esse, aut fuisse antecedens. tum nervus argumenti ipse latet in verbo ἀνίστημι, quod componitur ex ἀνὰ, re & sursum, & ἵστημι, sto, cujus oppositum est cadere. E. vi oppositorum sequitur eum, de quo resurrectio affirmatur, anteà cecidisse.

Minor verò, *Christum esse verè resuscitatum,*

XIX. quod IV. consectarium est, inde firmatur, quoniam Christus in omnibus rebus primas tenet, tenet, inquam, hodienum in præsenti, non solum in præterito. E. Christus vivus. E. verè resuscitatus ex mortuis sit, oportet. Non entis enim nulla sunt prædicata, talia, quæ exigunt existentiam Objecti. At primas in omnibus tenere tale est prædicatum, quod vel maximè Objecti existentiam postulat. IV.

XX. Fructus & consequentia Christi resurrectiōis

XX. Stante nunc hac Christi resurrectione, adeò ut dubitationi locus non relinquatur, quæritur, quæ inde consequentia, quique effectus & fructus sint ac delibentur? Resp. Sunt isti cum *respectu Christi*, tum *nostri*. *Respectu Christi*. Consideratur enim resurrectio ipsius, ceu primus exaltationis gradus, & initiū ipsius gloriæ, (uti Balduin. in Comm. Rom. p. 405. loqui amat,) quo Christi caro, assumpta in plenariam perfectamque infinitæ majestatis, per & propter unionis personalis gratiam, possessionē, evehi cœpta est, ut primatum in omnibus teneret, & in res omnes pleniſſimum exerceret dominium. *Respectu* autem *nostri* fructus, qui ex Christi resurrectione decerpuntur, sunt pacis inter nos & Deum Patrem reconciliatum confirmatio. Joh. XX, 19. & c. XXI, 26. Johan. XIV, 27. Rom. XVII, 17. Justificationis nostræ certitudo. Rom. IV. v. ult. Fraternitatis veritas, Joh. XX, 17. Rom. VIII, 29. Et spes denique vivæ de futura resurrectione nostra. Joh. XIV, 19. 2. Timoth. I, 10.

Singulos fructus fusius examinare hac vice supersedemus, ne, cùm in textu nostro explicitè non extent, extra oleas vagari videamur. De ultimo autem, eò quod præcipuè fundamentum in præsenti materia habeat, unum vel alterum breviter attigisse satis erit. Eleganter & graviter in hunc nostrum locum commentatus D. Ægid. Hunnius pag. 66. *Quod Christus*, inquit, *nominatur primogenitus ex mortuis, docemur, ab ipsius salvifica resurrectione pendere nostram. Quapropter cum ipse resurrexerit ex mortuis, firmiter inde concluditur, futurum, ut & nos aliquando virtute resurrectionis ipsius resurgamus ad vitam beatam & cœlestem.* Nec malè D. Weinrichius pag. 50. in Comm. Colos. *Resurrectio Christi nostræ resurrectionis basis & fundamentum merito constituitur. Redemptor* enim *noster resurrexit, ut & nos resurgere posse speremus*, ait Gregorius in Moralibus. Quæ spes si nobis nulla esset, sanè, ut cum Paulo loquamur, miserrimi omnium essemus, nec Christus verè ex mortuis primogenitus esse diceretur. Ast hæc asserere nobis sit religio!

XXI. Gratitudo erga Evergetam Iesum, primogenitum ex mortuis.

XXI. Convertamur potiùs ad vitæ & salutis nostræ autorem, inferni, mortis & diaboli victorem glorioſiſſimum, Christum amantiſſimum optimumque, qui ex amore in nos omnem sibi voluptatem negavit, & ob liberationem nostram, qui nos mortales mortalitate damnati eramus, caput suum in apertum discrimen adduxit,

adduxit, seque infandis mortis & inferni cruciatibus objecit, ut mortem morte suâ superaret. „Superavit autem ceu Leo de tribu Juda, & destruxit opera Diaboli, expoliatis imperiis ac potestatibus palam in triumphum traductis. Primogenitus ex mortuis est, solutis mortis doloribus, eò quòd fieri non poterat, ut ipse ab ea retineretur. Quæ primogenitura ex mortuis spes nostra viva, vera, optima, unica est & propria, quâ certi omninò esse possumus, à morte nec nos perpetuò detentum iri, sed ad vocem benignissimi JESU Goëlis, fratris nostri, olim ad vitam beatam resurrecturos, cumque eo dominaturos esse. Quo tandem nos animo, quâ mente, quâ voluntate, quâ religione tantùm Evergetam, qui tam benè nobis fecit & voluit, colere ac venerari oportet? Quid non ei referamus, à quo cuncta accipimus? quæ erit nobis ineunda ratio, ut ipsi cari simus? Monito Apostoli, quod Timotheo suo injunctum etiam atque etiam voluit, hîc opus esse censeo:

XXII. Μνημόνευε Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν. Memento Jesum Christum suscitatum fuisse ex mortuis. Quod hoc sibi vult, ut Jesum non gratissimis animis duntaxat & sermonibus assiduè prosequamur, sed etiam verâ fide & infucatâ cordis dilectione complectamur, inque fide & per fidem salvificam ipsi soli adhærentes vivamus. Ejusmodi quippe ἀναμνήσεως fidelis dicto subjungitur explicatio: *Discedat ab iniquitate omni, qui nominat nomen Christi.* Cui planius quoque & plenius respondet illud Rom. 6, 4. *Quemadmodum Christus à mortuis excitatus in gloriam Patris est, ita & nos* (spiritualiter suscitati) *in novitate vitæ ambulemus.* Convenit equidem spiritualis hæc resurrectio & virtutum studium optimè futuræ corporum resurrectioni. Præcipuè cum ii tantùm resurrectionis secundæ corporum ad vitam beatam cœlestemque fient participes, qui partem de resurrectione prima, spirituali vitæ renovatione sibi vendicare studuerint. Τ' ἀνώτερα ergò καλλίῳ cœlestia, non terrena sapiamus. Hæc enim incerta, caduca atque in perpetuo sunt fluxu; illa autem certa, vera, sempiterna. Ita fiet, ut tandem corporibus nostris cum Christo reviviscere, & per ipsum in æternum cœlestis consortes gloriæ gaudere possimus.

XXII. Constitit potissimum in nova obedientia, ut spiritualiter suscitati in nova vita ambulemus.

XXIII. Supereſt denique illud unum, ut DEO Ter Opt. Max. immortali immortales solvamus grates, quod nobis vires

hasce

haſce primitias Theologicas colligendi atque edendi benignè conceſſerit, ſimulque devotè rogemus, ut in dies gratiam nobis adaugeat, & mentem, quam dedit, conſervet, quo teſtimonia ejus rectitudine que acrius ac incitatius diſcamus, rimemur, & voluntati divinæ, quantum in hac vitæ miſeria, & ἐν μέρει ſcire datur, reſpondeamus.

COROLLARIA.

I. Chriſtus eſt caput Eccleſiæ ſuæ, corporis myſtici. Ergo non Papa Romanus, nec quisquam alius homo, ne biceps monſtrum evadat Eccleſia.

II. Quia Chriſtus eſt caput Eccleſiæ ſuæ, erit ipſi præſens, præſentia quidem ſi non viſibili, ſaltem inviſibili, non otiosa, ſed operosa, ubiq;, ut adeò etiam in Sacra Cœna eſſe poſſit.

TANTUM!